



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Francisci Montmorencii E Societate Iesv Cantica Et Idyllia
Sacra**

Montmorency, François de

Antverpiae, 1638

Canticum Beatissimæ Mariæ Virginis. Magnificat anima mea Dominum. ex
Luc. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69423)

CANTICVM
Beatissimæ MARIAE Virginis.

Luc. cap. I.

Magnificat anima mea Dominum:

Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est: & sanctum nomen eius.

Et

A R G V M E N T V M .

Supremam hanc CANTICORVM paginam
 claudat , super omnia Deo acceptissima
 Beatissimæ Virginis MARIÆ Theodoxia.

TE mea magnificis animi mens efferat
 hymnis
 Magne Pater : magnus nam mihi
 semper eris.

Semper eris mea sola Salus, mea sola voluptas,

Latitiamque mihi non aliunde petam;

Quàm quòd ab excelsâ cali respexeris arce

Hoc tenui natum conditione caput.

Nec quia debueram potius tibi serua videri

Postrema famulas inter habenda nota;

Es ratus indignum tibi, Rex supreme, fateri

Sic oculis humilem me placuisse tuis.

Simplicitas tibi visa fuit mea digna fauore.

Nam scio te multum simplicitate capi.

Omnibus hoc felix perhibebor nomine terris,

7bit & in laudes quilibet ordo meas.

Vt que Dei saluo genitrix sim facta pudore,

Non timidâ credent postera secla fide.

Scilicet indulsit mihi maxima maximus auctor,

Qui celo, que vult, cuncta soloque potest.

Huius ego sanctum, donec mihi vita manebit,

Imparibus tollam nomen ad astra modis.

H 3

Huius

Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo : dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.

Esurientes impleuit bonis : & diuites dimisit inanes.

Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.

Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius in sæcula.

*Huius ego fuerit clementia quanta, docebo;
Quantus in hos, ipsum qui reuerentur, amor.
Asseruit Vindex omni quos semper ab auro;
Fussit & in medijs nil trepidare malis.
Sive minas, ferrum sive intentauerat hostis;
Nil valuit ferrum, nil valuerunt mina:
Obuia disiecit forti Deus arma lacerto,
Subruit & validas funditus hostis opes:
Affixitque solo tumidi diadema Tyranni,
Eius ut in solium sufficeretur inops.
Diuitis inuit inops sic in bona dignior heres;
Sic eguit, diues qui sibi visus erat.
Felices, quibus est summi tutela Tonantis!
Quos Domini constans protegit vsque fauor!
Tu tamen Israël felicior omnibus audis,
Muneribus cæli facte beate nouis;
Dum Deus humanos ex te sibi suscitatur artus:
Deerat adhuc titulis gloria tanta tuis;
Quamuis illa pio promissa fuisset Abramo
Sapius, & totidem, quot numeramus, auis:
Ut memor est pacti, largo cum scenore, post tot
Saecula, datam Dominus liberat ecce fidem.*

